



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Stella Benedictina Sive Regula Sanctissimi Patris Nostri Benedicti**

**Meyenschein, Benedikt**

**Hildesii, 1725**

**VD18 10311831**

XXIII. De Excommunicatione culparum. Si vicibus ternis monitus pia  
dogmata spernis, Te censura ferit, plaga vel acris erit.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65028](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-65028)



- m) *Quæ sunt symbolum castitatis ac promptitudinis ad bene operandum.*
- n) *Alii legunt, vulnerent.*
- o) *Particula et melius vel omittitur, vel ponitur post ut. Connectuntur autem sequentia cum sensu superiore, in quo jubentur dormire vestiti & cincti.*
- p) *Seu lectos.*
- q) *Alii legunt mixtim vel permixtim cum Senioribus, scil. propter disciplinam.*
- r) *Sive admoneant, sonitu potius aliquo vel strepitu, quam voce, ut alibi monstrabitur.*

28. vel 29. FEBR. 30. JUNII. 30. OCTOB.

## CAPUT XXIII.

### *De Excommunicatione culparum.*

Siquis Frater contumax *a*, aut inobediens, aut superbus *b*, aut murmurans *c*, vel in aliquo *d* contrarius existens sanctæ Regulæ *e* & præceptis Seniorum suorum *f*, contemptor *g* reperi- tus fuerit, hic secundum Domini nostri præceptum *h* admoneatur semel & secundò secretè à Senioribus suis. Si non emendaverit, objurgetur publicè coram



coram omnibus. Si verò neque sic cor-  
rexerit; si intelligit, qualis pœna fit, ex-  
communicationi subjaceat *i*. Si autem  
improbus *l* est, vindictæ *m* corporali  
subdatur *n*.

- a) *Sive obstinatus in malo.*
- b) *Utrobique subintellige, graviter.*
- c) *Scil. exterius cum scandalo.*
- d) *Putâ, in materiâ gravi vel secundum rem ipsam, vel secundum affectum aut circumstantias.*
- e) *Quomodo sanctæ, dicitur c. 65.*
- f) *Varia hîc lectio & interpunctio: Quidam comma faciunt post Regulæ; quidam post præceptis, addentes vel subintelligentes particulam Si Seniorum; Alii melius post Seniorum suorum.*
- g) *Sive ex contemptu transgrediens in prædictis. Tunc autem agit aliquis vel transgreditur ex contemptu, quando voluntas ejus renuit subjici ordinationi legis vel Regulæ, & NB. ex hoc procedit ad faciendum contra legem vel Regulam; non verò si ex concupiscentiâ, irâ vel aliquâ aliâ causâ id faciat,*



faciat, etiamsi frequenter. Ità S. Thomas 2. 2. q. 186. a. 9. ad 3. Posterius tamen facile inducet contemptum interpretativum.

h) Ut Matth. 18. Si peccaverit in te frater tuus, &c.

i) Excommunicatio in genere est privatio vel exclusio à communione cæterorum. Et quidem aliqui S. PATREM intelligi volunt de excommunicatione purè regulari; alii verò probabiliùs etiam de Ecclesiasticâ: Nam in hoc cap. prærequirit contumaciam, contemptum, ac trinas admonitiones prævias; alibi verò, ut cap. 25. 26. 27. & 44. ponuntur alia veræ excommunicationis Ecclesiasticæ indicia. Habuit certè S. P. perinde, ut alii Abbates etiam non Presbyteri, ex veteri jure vel consuetudine authoritatem Ecclesiasticam excommunicandi, cum fuerit plus quàm simplex Abbas, & institutus ab eo Ordo, suo etiam tempore ab Episcopo loci, ipsâque Sede Apostolicâ tacitè approbatus; id quod tunc sufficiebat, neque opus erat expresso Diplomate, eò quòd Ecclesia id sibi nondum, sed imprimis sub Innoc. III. reservârit.



l) *Sive impœnitens in tali excommunicatione.*  
 m) *Seu afflictioni per disciplinas, verbera &c.*  
 n) *Sive subjiciatur. Et licet hoc in se le-*  
*vius fit, quàm ipsa excommunicatio; sape*  
*tamen fit, ut, qui non respiscit ex peri-*  
*culo animæ, ex corporali afflictione sanetur.*

I. MART. I. JULII. 31. OCTOBR.

CAPUT XXIV.

*Qualis debeat esse modus excom-*  
*municationis.*

Secundùm modum *a* culpæ, excom-  
 municationis vel disciplinæ *b* debet  
 extendi mensura: Qui culparum modus  
 in Abbatis pendet iudicio. Siquis ta-  
 men Frater in levioribus culpis *c* inve-  
 nitur, à mensæ participatione privetur.  
 Privati autem à mensæ confortio ista erit  
 ratio *d*, ut in Oratorio Psalmum aut An-  
 tiphonam non imponat *e*, neque Lectio-  
 nem recitet, usque ad satisfactionem *f*.  
 Refectionem cibi post Fratrum refectionem  
 solus accipiat: ut si verbi gratiâ  
 Fratres reficiant sextâ *g* horâ, ille Fra-  
 ter